

773171  
INDEX LECTIONUM



IN

UNIVERSITATE STUDIORUM JAGELLONICA

A DIE 1. OCTOBRIS ANNO MDCCCXV.

AD MEDIUM MENSEM JULII ANNO MDCCCXVI.

INSTITUENDARUM.



CRACOVIAE

TYPIS ACADEMICIS.

Civibus Litterarum Studiosis

S. P.

Universitatis Studiorum Jagellonicae Cracoviensis Rector

Valentinus Litwiński

Cum Senatu Academico.

---

**J**uris Romani notitiam in Italia nunquam penitus interiisse vel ex professionibus illorum, qui Romana lege se vivere velle declaraverint, vel ex aliis documentis satis superque jam pridem constitit. Nam ab anno DCCCVII ad a. MCCCLXXXVIII post Christum natum plurima innotuerunt exempla eorum, qui lege Romana, ut dicebatur, se victuros esse professi sunt; et Odofredus de tradito in Scholis Romae et Ravennae Jure Romano, idque ante Peponis et Irnerii tempora jam inter Irnerii discipulos et celeberrimos Juris Glossatores seculo XII testatus est. Quare fabula de jure Romano ante expugnationem oppidi Amalphitani prorsus incognito, eodemque in Scholis publicis penitus neglecto jam dudum explosa et merito rejecta est. Verum tamen quum omnium occidentalium populorum jura non nisi ex solo usu et consuetudine hausta fuissent, barbaries et ignorantia a Longobardorum adventu sec. VI ad Carolidarum tempora sec. IX per annos trecentos jugiter aucta crevisset, facile fieri potuit; ut Jus Romanum quoque publice nullibi fere traditum non nisi ex sola consuetudine redderetur. Quare et Peponis conatus de tradendo in Scholis Jure Romano ante Irnerii et Lotharii II tempora a. 1136 inutilis fuit, et certe Jus Romanum, ut olim apud Judaeos lex Mosaeica Hierosolymis ante Josiae tempora, omnino et Romae et Ravennae in oblivionem abiisse videtur. Id ita factum fuisse luculenter Conradus Comes de Lichtenau Abbas Urspergensis his verbis nos docuit: *eisdem quoque temporibus Dominus Wernerius libros legum, qui dudum neglecti fuerunt, nec quisquam in iis studuerat, ad petitionem Mathildae Comitissae revocavit. Et secundum quod olim a divinae recordationis Imperatore Justiniano compilati fuerant, paucis forte verbis alicubi interpositis, eos distinxit, in quibus continentur Instituta praefati Impera-*

toris, quasi principium et introductio Juris civilis. Edicta quoque Imperatorum et Aedilium, quae rationem et firmitatem praestant Juri Civili, haec in libro Pandectarum videlicet in Digestis continentur. Additur quoque his liber Codicis, in quo Imperatorum statuta describuntur. Quartus quoque liber est Authenticorum, quem praefatus Justinianus ad suppletionem legum imperialium superadidit. Wernerus igitur sive Irnerius, Lucerna Juris dictus, in Italia sub auspiciis Imperatoris Lotharii Jus Romanum aequae circa a. 1130 p. C. n. ac Josia regnante Helcias in Judaea ante C. n. 592 restituisse dicitur. Quid enim huic facto similis accidere potuit, quam extremi Judaici Regni temporibus neglectae Legis Mosaicae restitutio. Vid. Regum L. IV. c. 22. Tum enim forte fortuna ab aedificantibus in templo Salomonico inventus est casu inopinato Codex sacer legis Mosaicae, quae non solum Populo sed ipsis Pontificibus Hierosolymitanis per incuriam ita ex animo effluerat, ut Josias Rex eam denuo in memoriam revocandam et iterum promulgandam esse censeret. Attamen si funesta neglectae religionis intervalla excipias, Populus Judaicus in observantia Legis Mosaicae continuo permanserat. Itaque manifesto tum a tempore ignoto ad Josiae aevum forsitan a Roboamo, neglectis post Salomonem literis, et linguae patriae cura evanescente, oblitus est populus Judaicus Legem scriptam Mosaicam; nec jus aliter reddebatur, quam sub Judicibus Israëliitarum ante Sauli et Davidis tempora, quum anarchia sub incertis Judicibus in populo Judaico desaeviret, i. e. anno fere 1000 ante Christum natum. Vid. Judicum Cap. XVII. 6. XXI. 25. ubi pro lubitu quodcumque placuerit, cuilibet licebat. Si quod igitur jus reddebatur, id interdum tantum pro arbitrio judicis qualiscunque, interdum ex aequo et bono, non raro ex jure fortioris, semper ex sola consuetudine, non autem e norma legis scriptae dicebatur. Idem apud nos passim in Polonia quoque non nunquam accidit in oppidis, quae jure Magdeburgensi locata id ipsum ignorabant, cum oppidani cives moris antiqui obliti facti sunt agrestes rusticolae, quibus praeter pascuorum et agrorum curam nihil amplius cordi esset. Huc quoque pertinere videtur lepida Capituli Gnesnensis Confessio, eaque saepius repetita, et in concessio Jure Szredensi Villae Slavonice solenniter renunciata a. 1390, quam certe nemo nisi rerum gestarum ignarus vituperabit. Vid. Czacki de Juribus Lithuan. T. II. p. 285, ubi haec diserte leguntur: *Quoniam jura Szredensia sunt nobis penitus incognita; omnia jura, quae commodum et utilitatem dominorum respiciunt, nobis et*

*Succesoribus Nostris reservamus. Jura igitur incognita dare et ab iisdem sibi cavere non erat tum insolitum.*

Quae omnia, ut opinamur, probant: usum juris scripti interdum infelicibus ignorantiae temporibus ex solo usu analphabeto vigere posse et viguisse. Certe ante Casimiri M. tempora non magna apud nos Jurisprudentiae cura fuit; atque quum Polonia post obitum Regis optimi sub Ludovico Rege bellis civilibus turbaretur, vel ante Vladislai Jagellonis, qui primus integra antiquissimae Universitatis Literariae Cracoviensis studia condidit, cum caeteris disciplinis et Juris scientia incrementa capere non potuit. Etiam Juris Canonici ad instar Juris Romani viginti annorum spatio posterior ab anno fere 1153 institutio, quum perspectum fuerit, quam utilis Juris Romani scientia Imperatoribus et Regibus esset, novum documentum praebet: ante Irnerii tempora ubique fere pene incognitum Jurisprudentiae studium jacuisse. Idem recentioribus temporibus et nobis quoque quodam modo evenit; quum neglectis post fata Jagellonidum literis ad Stanislai Augusti tempora, non nisi ex usu Jurisperiti privatim apud Maecenates, Patronos et Advocatos jus discerent, iidemque sola praxi contenti, vix ultra practicam juris scientiam quilibet esse posse suspicerentur; denique omnia, quae altiore doctrinam spectarent, vel temere vel insipide contemnerent. Nec licuit optimo nostro Regi Stanislao Augusto ita Rempublicam emendare, ut Jurisperitia Jurisconsulto esset necessaria, sed postea id factum est; et quamvis jam non ea Juris Romani auctoritas sit, quae olim obtinuerit, nunquam tamen tantopere negligenda est, quam quidam et apud nos, et alibi ultra et citra Rhenum et Alpes vociferantur, qui vel soli Juris naturae disciplinae vel patriae Antiquitatis scientiae omnia tribuere voluerint. Si enim sine Juris Naturae scientia nemo, ut nunc res sunt, doctus evadere poterit Jurisconsultus, ubicunque terrarum habitaverit, sane etiam sine Juris Romani notitia aequae ac sine Vernaculi Juris cognitione, parum in Disciplinis Juridicis proficiet. Etenim nunquam obliviscendum est Juris sensum cuique bono, at Jurisprudentiam nemini innatam esse; illam quidem tantum recta voluntate egere; hanc non nisi summo studio et longo labore parari. Nec fugiunt nos graves et magnae atque interdum justae odii in Jus Romanum causae, quae ut apud Anglos, ita et apud nos Polonos non raro invalescebant. Sed de his loqui hic non est locus. Sufficiat autem meminisse: non omnes Juris Romani leges ad ea accomodari posse, quae quidem vel ex consuetudinibus antiquis vel ex jure feudali pro-

fecta sint. Verumenimvero non ad solos Jurisprudentiae studiosos verba mihi facienda sunt, sed ad omnes cives Academicos, qui vel Theologiae, vel Jurisprudentiae, vel Medicinae, vel Philosophiae operam navant. Arcitissimum omnibus disciplinis inter se esse vinculum, nostis ipsi juvenes dilectissimi, qui et diligentiam et morigeram probitatem cum religiosa pietate nobis vestram probavistis. Ineptus mihi quidem hic laudator disciplinae cujuscunque esse videtur, qui dum suam artem extollit, aliarum disciplinarum virtutem spernit et vituperat. Pares sunt sibi, ut veneranda Musarum et Gratiarum numina, omnes humanae intelligentiae artes et disciplinae, atque si mortalium imbecillitas ea est, ut arceat nos ab ingressu in penetralia omnium disciplinarum, ad quae paucos eosque beatissimos admittit, certe nemini aditum ad summa illarum disciplinarum fastigia claudit, quibus suum quisque nomen dederit. Memineritis igitur, o juvenes, in omnibus disciplinis peregrinandum, sed in una habitandum esse, nec obliviscimini unquam: neminem sine labore quidquam in sanguinem et succum vertisse, nec fuisse quempiam, qui sine sudore aliquid didicerit; nam ita humana natura comparata est, ut, quum fortuna, divitiae, prospera valetudo et multa alia bona sua sponte veniant; eruditio et scientia non nisi et arte, et diuturno studio, et summo et indefesso labore obtineantur. Nam eodem modo et Regum et Heroum, et libertinorum et libertorum filii discunt, quos placido lumine Phoebus Apollo respexerit. Sic quoque illustri praesapia ortus noster Krasicius non alia via, quam qua libertini salsamentarii filiolus olim divinus Horatius Flaccus aeternae apud Castalides gloriae laudes promeruit. Ad diligentiam vero non parum animi vobis addat, necesse est, Augustissimorum, Potentissimorumque Imperatorum et Regum Clementissima Voluntas, Qua Benignissime declararunt: Se velle Humanissime, ut aequae ac in haereditariis Imperiis et Regnis suis et viciniae apud nos literae et artes vigeant, magis efflorescant et augeantur. Macte virtute igitur id omnibus viribus intendite, ut tantae Clementiae et Benignitatis beneficio digni, praemia diligentiae vestrae omnium certissima eruditionem et doctrinam asequamini. Quo facto et laus et honor merita vestra sua sponte excipient.

---

# ORDO THEOLOGORUM<sup>e</sup>

—————○○○○○○○○—————

*Dominicus Markiewicz, Phil. et S. Theol. D. P. P. O. Canonicus Cath. Livonien. h. t. Fac. Theol. Decanus.*

Hor. mat. 8—9. Theologiam Pastoralem juxta systema Lauberianum quotidie exceptis Saturni diebus exponet.

*Florianus Kudrewicz, Ord. S. Basilii M. S. Theol. D. Sacrae Scripturae Prof. P. O.*

Hor. mat. 10—11. quotidie excepto die Saturni tradet Archaeologiam Biblicam et Hermeneuticam Veteris Testamenti.

*Nicolaus Gilles, P. P. O.*

Hor. pom. 4—5. Theologiam dogmaticam cum Prolegomenis profitebitur.

*Nicolaus Janowski, Ord. S. Franc. Conventual. S. Theol. D. P. P. Extraordin.*

Hor. pom. 3—4. quinis per hebdomadem diebus, excepto die Saturni, tradet Theologiam Moralem ad mentem Legis naturalis et evangelicae.

*Matthaeus Kozłowski, Ord. Praedicator. S. Th. D. P. P.*

Hor. pom. 2—3. quinis hebdomadis diebus, excepto die Saturni, exponet Historiam Ecclesiasticam juxta Systema Gmeineri.

—————○○○○○○○○○○○○○○○○○○○○○○○○○○○○—————

# ORDO JURIS - CONSULTORUM.

—————○○○○○○○○—————

*Adamus Krzyżanowski, J. U. D. h. t. Decanus P. P. O.*

Hor. mat. 9—10. quotidie praeter diem Saturni exponet Jus Civile, provinciale et cambiale.

*Valentinus Litwiński J. U. D. P. P. O.*

Hor. pom. 5—6. diebus quinis per hebdomadem excepto die Saturni tradet Jus criminale semestri brumali, Codicem judicarium civilem per semestre aestivum.

*Augustinus Boduszyński, J. U. D. P. P. O.*

Hor. pom. 4—5. quotidie quinis diebus excepto die Saturni Jus Romanum et Canonicum docebit.

*Felix Słotwiński, Phil. et J. U. D. P. P. O.*

Hor. pom, 3—4. diebus quinis Jus naturae universum (privatum, civitatis et gentium) per semestre hyemale — Scientias politicas (Politiam, Oeconomiam politicam et aerariam) per semestre aestivum — Statisticam vero quolibet die Saturni — docebit.

---

## ORDO MEDICORUM.

---

*Franciscus KostECKI, P. P. Em. h. t. Decanus Fac. Medicae.*

Hor. def. tradet duce Hufelando Macrobioticam.

*Adalbertus Georgius Boduszyński, Med. Dr. P. P. O.*

Praxin Medicam auditoribus, quibus competet, in Instituto clinico, ab hora 9. quotidie tradet, tum etiam eandem horis determinandis in Nosocomiis Urbis demonstrare conabitur.

Horis vero pomeridianis 4—5. Therapiam generalem ac specialem, Morborum Chronicorum duce Joh. Petro Frank; Pathologiam, duce Curt. Sprengel; Materiam Medicam ex propriis Schedis, nec non Hygieinen et Artem formulas concinnandi praeleget.

*Ignatius Wozniakowski, Med. Dr. P. P. O.*

Artem Obstetriciam, Morbos Foeminarum et Infantium explicabit hor. matut. 11—12. quotidie excepto die Saturni.

Chirurgiam theoreticam docebit singulis diebus per hebdomadem ab hora 3—4. pomerid. exceptis diebus Saturni.

*Sebastianus Girtler, Phil. et Med. Dr. P. P.*

Politiem medicam, Medicinam forensem, tum Historiam Medicinae ac denique Institutiones Artis Veterinariae tradet singulis diebus, excepto die Saturni, idque ab hora 5. ad 6. vespertinam.

*Josephus Sawiczewski, P. P. O.*

Hor. pom. 1—2. Pharmaciā et Toxicologiam explicabit.

*Josephus Kozłowski, Med. D. S. P. A. et P.*

Hor. 12—1. quotidie excepto die Saturni docebit Anatomiam et Physiologiam

*Nicolaus Corde.*

Hor. 8—9. tradet Chirurgiam Practicam et clinicen chirurgicam ac artis obstetriciae ad lectulos aegrorum.

# ORDO PHILOSOPHORUM.

## I.) FACULTATIS MATHEMATICAE.

*Carolus Hube, Phil. D. Professor Mathes. sublim h. t. Decanus Fac. math.*

Hor. mat. 8—9. diebus Lunae, Martis et Jovis tradet Propaedeuticam ad Mathesin sublimiorem, Algebra, Analysin indeterminatam et Trigonometriam.

Hor. mat. 9—10. expositis breviter praecipuis trigonometriae formulis docebit Theoriam linearum et superficierum curvarum; per semestre hyemale diebus Lunae, Martis, Mercurii et Veneris. Iisdem horis per semestre aestivale calculum differentialem exponet.

Hor. mat. 9—10 diebus Jovis, hor. 8—9. diebus Veneris Calculum integram docebit, ejusque applicationem ad Physicam et Mechanicam ostendet.

*Josephus Łęski, Phil. D. Astronomiae Professor, P. O.*

Hor. mat. 10—11. quotidie praeter diem Saturni tradet I.) Astronomiam duce *Delambre Traité de l'Astronomie. Paris 1814.*

II.) Artem delineandi mappas geographicas ad projectionem stereographicam.

*Aloisius Oestreicher, Phil. et Med. Dr. Zoologiae et Botanices Professor.*

Hor. pom. 2—3. quotidie exponet Zoologiam per semestre hiemale.

Hor. mat. 7—8. Botanicam tradet per semestre aestivum.

Hor. pom. 6—8. exercitationes Botanicas instituet, et Botanices applicatae praxin ostendet.

*Josephus Markowski, Phil. et Med. D. Professor Chemiae P. O.*

Hor. mat. 11—12. quotidie excepto die Saturni Chemiam theoreticam et practicam cum experimentis exponet.

*Romanus Markiewicz, Phil. D. Professor Physices P. O.*

Hor. pom. 3—4. diebus quinis per hebdomadem, die Lunae, Martis, Mercurii, Veneris et Saturni Physicam mechanicam docebit.

*Josephus Tomaszewski P. P.*

Hor. mat. 10—11. quotidie excepto die Jovis docebit I.) Mineralogiam.  
II.) Geologiam.



*Philippus Menciszewski P. P.*

Hor. pom. 12—1. profitebitur Geometriam descriptivam per semestre hiemale.

Mechanicam et Hydraulicam per semestre aestivale.

## II.) FACULTATIS LITERARIAE.

*Georgius Samuel Bandtkie, Ph. D. Professor Bibliographiae, P. O.*  
*h t. Decanus.*

Hor. pom. 2—3. die Mercurii et Veneris, hor. mat. 8—9. die Saturni Bibliographiam profitebitur.

Collegium styli cultioris duce Beckio (*Artis latine scribendi praecepta. Lipsiae 1801. 8.*) et disputatoria philologica et historica cum selectis juvenibus instituet.

*Julianus Czermiński, Phil. D. Professor Historiarum, P. O.*

Hor. mat. 11—12. quotidie: I) enarrabit Historiam antiquiorem et recentiorem. II. Geographiam physicam et politicam. III) docebit artem criticam, quae ad legendos historicos est necessaria. IV) literarum et scientiarum progressum demonstrabit.

*Felix Jaroński, Th. et Phil. D. Philosophiae P. P. O.*

Hor. mat. 9—10. quotidie docebit Logicam, Metaphysicam, Ethicam, Historiam Philosophiae et Paedagogicam.

*Paulus Czaykowski, Literaturae Polonicae P. P. O.*

Hor. mat. 10—11. traditis praeceptis eloquentiae et poëseos, per classicorum Auctorum exempla illustratis, Auditores ad exercitia Linguae Patriae in utroque orationis genere ducet.

*Petrus Boucher, Canonicus Cath. Kielecensis, Phil. D. P. P.*

Hor. pom. 2—3. die Martis et Jovis tradet praecepta linguae Gallicae, et docebit theoriam literarum elegantiorum ad normam Auctorum classicorum Nominis Gallici.

Extra ordinem profectiores in styli cultioris Gallici adyta, more suo consueto et probato horis, quae Auditoribus congruent, introducet.

*Hermannus Schugt, Phil. D. P. P.*

Hor. mat. 10—11. quotidie explicabit Pindari carmina.

Hor. def. semestri aestivo tradet styli Graeci cultioris praecepta.

Lectorium in Bibliotheca publica Univ. Crae. patebit hor.  
pom. 2—4. hiemali, hor. 3—5. aestivo semestri, diebus Lunae,  
Martis et Jovis. Hospitibus vero extraneis, qui Bibliothecam, Mu-  
sea, Speculam Astronomicam et Hortos Botanicos invisere cupiunt,  
nulla hora praefinita est, dummodo tempus praelectionibus sacrum  
Bibliothecario et Praefectis Museorum Mineralogici et Zoologici et  
Horti. Botan. [condonare velint. Quovis tempore de commoda ho-  
ra certiores facti curiosis hospitibus nunquam deerunt.

Horis designandis *Josephus Brodowski* artem delineandi, *J. G. Trenner*  
Architecturam oeconomiam tradent.

